



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 133. Causa hæresis in Poloniam invectæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI A. C. 1557. ciæ possessionem detinebant, donec inde a Poloniæ Rege fuissent expulsi.

§. CXXXIII.

*Causa hæresis in Poloniam
inveſtæ.*

Hic idem Poloniæ Rex nominabatur Sigismundus II. Sigismundi I. Filius, qui vivente adhuc Patre suo, cui successerat, Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo octavo coronatus est. Illius regnum Lutheri hæresis invaserat occasione captata ex commercio, quod Procerum filii cum Germaniæ Protestantibus fovebant: illi enim studiis vacaturi istorum Scholas adibant, falso persuasi, quod Professores Universitatum, quæ a Catholica Ecclesia segregatæ sunt, longe magis celebres sint, quam Doctores Catholici, ac proin horum Procerum Filii literis humanioribus optime imbuerentur, quin divinæ literæ, quas hæresum scaturiginem esse reputabant, immiscerentur. Hæc ipsa cæcitas eo magis erat deploranda, quo certiori experimento Polonis compertum fuerat, quod easdem ob causas Suevia, aliæque Regna vicina in hæreses incidissent. Verum Poloni errorem suum tum primum cognoverunt, postquam malum fraud ultra reparari poterat, eorumque

que Filii postea magis novarum hære-
 sum erroribus, quam literis humaniori-
 bas imbuti in patriam reversi sunt: qua-
 propter non sine dolore illorum Parentes
 cernere cogebantur, quod eorum filii
 palam patriæ suæ Religionem, ac ritus
 deriderent, atque etiam in Palatinatu,
 ubi major erat horum juvenum nume-
 rus, Ecclesias diriperent. Rex cum no-
 biles sibi infensos reddere pertimesceret,
 sacrilegos hosce ausus indulgenter to-
 lerabat, quamvis ipse Religionem Ca-
 tholicam non abjiceret: unde accidit,
 ut etiam quidam Presmisiensis Eccle-
 siæ Cathedralis Canonicus publice ne-
 fando conjugio sese pollueret, ac plena
 quævis credendi libertas permetteretur,
 nullusque propter mutatam Religionem
 in Polonia ad quæstionem vocaretur.

§. CXXXIV.

*Pontificis diploma ad Poloniæ
 Regem.*

Postquam Paulus IV. Pontifex intelle-
 xerat, quod intra Sigismundi Re-
 gnum jamjam in pluribus urbibus com-
 munitio sub utraque specie distribuere-
 tur, spreto etiam interdicto, quo idem Rex
 illius usum in publicis Ordinum co-
 mitiis prohibuerat: eapropter Pontifex
 ad Sigismundum die vigesima prima
 Octobris Anno Salvatoris nostri millesi-
 mo

Sæcul. XVI.

A.C. 1557.

*Raynald. hoc
 ann. n. 38.*